



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 60. De Bulla adversus Lutheri errores promulganda Romæ actum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XV. A.C. 1520. auguratione WORMATIÆ generalia con-
vocado comitia, atque jubebo, ut Lu-
therus compareat, ac coram Principibus
doctrinæ suæ rationem reddat, quem
haud repugnanter, si reus inveniatur, San-
ctitatis suæ Ministris tradam. Cum ve-
ro hoc medium longiori moræ exposi-
tum, atque aliunde Lutheri causa jam-
jam ad Pontificis tribunal devoluta esset,
illam in Germaniæ comitiis decidere,
minus decebat, atque ipse Imperator spi-
ritualem jurisdictionem labefactare vi-
debatur: quapropter quid denique hac in
re discernendum esset, summus Pontifex
Cardinalium, Prælatorum, Theologiæ,
jurisque Doctorum congregationem in-
stituit.

§. LX.

*De Bulla adversus Lutheri erro-
res promulganda Romæ
actum.*

*Sleidan. in
com l. 2. p. 53.
Cochl. ann.
1520. p. 53.*

Primo inter Theologos circa judicii nor-
mam nonnulla movebantur dubia, u-
trum nempe Lutherus secunda vice ci-
tandus esset; nam speciatim de illius do-
ctrina, libris nec non & de ejus persona
agitatum; & quantum ad primum arti-
culum censebant Patres, quod Lutherum
audire, haud ulla necessitas suaderet, cum
publicum ac evidens esset, illum ejusmo-
di

di doctrinam sparsisse; quod vero ejusdem libros spectaret, decretum, eos per Constitutionem Apostolicam damnandos, ignique tradendos esse; denique circa ejus personam conventum est, quod omnino expediret, ut Auctor tempore ipsi præfigendo comparere juberetur. His ita conclusis Anconitanus Cardinalis de modo hanc Bullam condendi agere cæpit, ac quamdam illius formam exhibuit in Congregatione prælectam; verum Laurentius Puccius Cardinalis Datarius aliam a semetipso confectam porrexit; unde inter ambos hosce Cardinales vehementior exorta est contentio, quovis laboris sui partum a ceteris acceptari gestiente. Ast Pontificis auctoritate brevi lis extincta est, & Papa Anconitani Cardinalis formulam præferens, illam Theologis prudentia & eruditione longe clarissimis discutiendam tradidit, qui subinde nonnulla mutanda censebant: Tandem vero satis eliminata in quadam Congregatione prælecta, unanimi consensu approbata, atque ad illius normam condita fuit celebris illa Leonis X. Constitutio, hoc anno millesimo quingentesimo vigesimo die decima quinta Junii contra Lutherum promulgata.

Sæcul. XVI.
A. C. 1520